



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Quod etiam evincitur ex eorum lotionibus in atrio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

266 De CALCEIS HEBRAOR.

ineptissimi multa comminiscuntur,
quibus ostendunt se τὰ κάναπα δη-
λίγεν. Tamen cum hæc caveant
tam sollicite Rabbini, sacerdotes
olim non nisi nudipedes sacris mi-
nistrasse, & nullis calceis aut pe-
dum integumentis in templo usos,
constare potest.

IV. Idem docent Sacerdotum
lotiones, quæ in Atrio fiebant.
Sacerdotibus, cum tabernaculum
aut templum essent ingressuri, ubi
Thymiana Domino in altari esset
offerendum, in mari æneo pedes
lavare lex divina præcepit. Ita
enim legimus. *Et missa aqua lava-
bunt in eo (mari nempe æneo)
Aaron & filii ejus, manus suas ac
pedes, quando ingressuri sunt taber-
naculum testimonii, & quando acces-
suri sunt ad altare, ut offerant in eo
Thymiana Domino, &c.* Fit quidem
solius lotionis mentio, ad quam
sacerdotes, sacris perficiendis se
accingentes, tenebantur. Inde
tamen concludi sat evidenter potest
sacerdotes, sacris operantes, di-
fiscalceatos fuisse. Quis nescit, lo-
tionem tam solemnem, nisi calcea-
mentis, siquidem illis alias uteren-
tur

*Exod. 30.
19. 20.*

tur, prius exutis, peragi non potuisse? Sane ante lavandum, *immundissimam pedum tutelam*, removere sacerdotes decuit. Quis credit sacerdotes, postquam loti fuerunt, calceamenta pedibus suis induisse, & non potius sibi persuadeat discalceatos & sacrificasse, & alia munia sacra perfecisse, cum inter eorum vestitum, quem ipse Deus præscripsit, nusquam calcei appareant, & vel ii, qui apud Hebræos sacerdotes non fuerunt, sed tantum privati, &, ut ita dicam, profani homines, templum non adirent nisi discalceati. Atque hoc ex eo robur accipit, quod Talmudici referant conclave fuisse peculiare, in quo sacerdotes, qui non nisi nudipes in templo poterant versari, hyberno præsertim tempore calefieri poterant citius, pavimento calefacto inambulantes. Videri potest Codex Middoth, in quo describitur בֵּית הַמִּקְדָּשׁ locus incendi, sive focarium, de quo notavit hæc vir nobilissimus & eximus Constantinus l'Empereur. Ab ardendo nomen habet hæc structura, quod ibi

M 2

perpe-

Middoth
cap. I. § 6.
& ad eum
l'Emper.